

§ *Omnem*. collat. 8. Probatur sequel. Siquidem sententia lata in petitorio, absorbet totum jus in possessorio, c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, et c. *Cum dilectus*. 6, h. t. ergo. Resp. neg. sequel. Quinimo talis regressus multum prodesse potest actori: hic enim alioquin, si post intentatum petitorium, deficeret in probatione proprietatis, quæ est difficillimæ probationis, perderet totam causam: nam actore non probante, reus existens in possessione etsi nihil ipsi præstiterit, obtinebit, atque ab actoris impetitione absolvetur, c. *Cum Ecclesia*. § fin. h. t., cum concordantiis. Secus vero est, quando actor a petitorio regressus fuit ad iudicium possessorium: nam si obtinuerit in isto, rejiciet onus probandi proprietatem in adversarium, ipseque gaudebit omnibus privilegiis seu commodis possessionis, ut jam superius dictum. Ad probationem sequelæ rursus negatur consequentia: quia ut patet ex proxime dictis n. 292 et seqq., sententia lata in petitorio absorbet quidem sententiam in possessorio quoad effectum primum, seu quatenus illa prævalet in executione: non vero quoad effectus istius secundarios, et minus principales: ob quorum unum n. 298 et 300 declaratum, instituitur regressus ille a petitorio ad possessorium, non vero in ordine ad procrastinandam litem.

305. *Post conclusionem in causa non licet actori, a petitorio regredi ad possessorium. Per conclusionem in causa ligantur manus et clauditur os partibus.* — Additur notanter n. 299, « Dummodo id fiat ante factam conclusionem in causa. » Nam postquam conclusum fuit in causa, et partes ulterioribus allegationibus atque probationibus renuntiaverunt, causamque cognitioni et decisioni iudici submitserunt, non amplius permissum est actori, ab intentato petitorio regredi ad possessorium, sed expectanda est sententia: nisi iudex hoc ipsum ex justa causa viderit expedire, prout habetur expressum in cit. c. *Pastoralis*. § *Si vero*. h. t. Et merito, tum ne lites ex litibus orientur, et via aperiatur fraudibus malitiosorum, hac occasione post satis jam agitatum petitorium eludendi iudicem, ejusque sententiam illico proferendam retardandi per regressum ad possessorium, tum etiam quia per conclusionem in causa ligantur manus et clauditur os partibus litigantibus. Jason in *Relect.* l. *Admonendi*. n. 62, ff. *de Jurejurand.*; Gailus lib. I *Practic.* observat. 107, n. 4, et seqq., citans alios.

306. *Per conclusionem in causa ligantur manus, et clauditur os partibus, non tamen iudicis.* — Secus est dicendum respectu iudicis. Siquidem officium iudicis, utpote qui cuncta debet rimari antequam ferat sententiam, viget uniformiter usque ad prolationem sententiæ inclusive: ac proinde per conclusionem in causa ligantur quidem manus partium, non tamen iudicis, c. *Cum Joannes*; 10, *de Fide instrument.*, et Clem. *Sæpe contingit*. juncta Glossa, §. *Interrogabit*; *de Verb. signif.* Ubi dicitur, quod iudex posset interrogare partes, « sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubicumque hoc æquitas suadebit, » et consequenter etiam post conclusionem in causa, uti notat Jason, et Gailus ubi supra, cum aliis.

307. *Et hinc ex gravi causa potest iudex etiam post conclusionem in causa concedere regressum ad possessorium.* — Et hinc, si iudex æquitate suadente ita expedire viderit, potest etiam post factam a partibus conclusionem in causa permittere actori, quod ab intentato petitorio regredi valeat ad iudicium possessorium: ut puta, si ex apertis indicis appareat iniquitas invasoris, factæque per ipsum spoliationis: aut quod spoliato sive per malitiam spoliatoris, sive casu fortuito, subtracta fuerit facultas probandi ipsam rei proprietatem: vel si alia gravis interveniat causa, quæ juste moveat animum iudicis ad concedendum ejusmodi regressum, etiam postquam conclusum fuit in causa; prout expressum habetur in sæpe dicto c. *Pastoralis*. § fin. h. t.

308. *Regressus a petitorio ad possessorium pariter locum habet in causis beneficialibus, etiam per appellationem ad Sedem apostolicam: secus dicendum in inferioribus.* — Quæritur III. Utrum regressus a iudicio petitorio ad possessorium, etiam locum habeat in causis beneficialibus? Resp. affirmative, per textum satis apertum in Clem. un. h. t., ubi Clemens V in concilio generali Viennensi ubi statuit: « Causa beneficiali per appellationem ad Sedem apostolicam legitime devoluta, tam appellanti, quam appellato licere decernimus nedum petitorium, sed et possessorium intentare. Et in spoliantis odium ante causæ conclusionem suspendere petitorium a se et ab adversario intentatum, in solo possessorio procedendo. » Hæc ibi. Et merito, ut sit malitia spoliantium, seu dejectionum alios a possessione suorum beneficiorum melius præcaventur, in quorum odium proinde sic statutum fuit.

309. *Solvuntur instantiæ. Iudex appellationis non potest cognoscere nisi super ea causa, a qua fuit appellatum.* — Dices: Iudex appellationis non potest cognoscere nisi super ea causa, a qua fuit appellatum, Clem. *Appellanti*. §. *de Appellat.* et l. *Eos qui*. § 1, C. eod. Atqui solum a causa in petitorio (uti supponitur) fuit appellatum; ergo. Resp. majorem procedere regulariter; fallere tamen seu pati exceptionem in causis beneficialibus ad Sedem apostolicam per appellationem devolutis, juxta cit. Clem. un. h. t. Etenim, quia in istis majus vertitur periculum, ne Ecclesiæ diutius maneant legitimo rectore destitutæ; simulque, quia Papa est generalis ordinarius, et habet concurrentem cum omnibus ordinariis potestatem: merito Pontifex cum concilio permisit, ut in detestationem factæ spoliationis, ac in causa beneficiali per appellationem ad Sedem apostolicam devoluta, liceat dicto modo transire a petitorio ad possessorium, atque etiam invita altera parte in hoc solo procedere.

310. Clem. un. h. t. *procedit solum quando est appellatum ad Sedem apostolicam: secus dicendum in inferioribus.* — Additur notanter majorem illam « pati exceptionem in causis beneficialibus ad Sedem apostolicam per appellationem devolutis, » quia, cum major illa regulariter procedat, per jura allegata; simulque non censeatur plus de priori lege esse mutatum quam est expressum in posteriori, ut l. *Præcipimus*. C. *de Appellat.* cum similibus: hinc dispositionem cit. Clem. un. h. t. habere dumtaxat locum in causis beneficialibus per appellationem ad Sedem apostolicam devolutis, ac proinde non procedere, quando fuit appellatum ad inferiores; tenet Glossa in cit. Clem. un. §. *Ad Sedem apostolicam*, et Abbas ibid. n. 2; Imola, § *Glossa ad Sedem*, h. t. contra quosdam alios.

311. *Neque ejus decisio est communis aliis causis, præter beneficiales.* — Insuper dictam Clementinæ decisionem non esse communem aliis causis præter beneficiales, notavit Glossa in d. Clem. un. h. t. *in Casu*. ac § *Beneficiali*, et Covarruvias lib. I *Var. resolut.* cap. xvi, n. 13, allegans communiorum aliorum contra Jasonem in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*. n. 137, ff. *de Acquir. possess.*, et quosdam alios; qui volunt, etiam in aliis causis facta appellatione posse spoliatum transire ad possessorium, quamvis in prima instantia solum petitorium fuerit agitatum. Sed quia non censetur plus de priori lege mutatum, quam

est expressum in posteriori, ut dictum: simulque iudex ad quem appellationis regulariter, et nisi alicubi habeatur specialis exceptio, solum habeat judicare, utrum appellatio fuerit justa vel injusta, cit. l. *Eos qui*. C. *de Appellat.* ac postmodum pronuntiare, « bene appellatum, male judicatum, » vel econtra: hinc prior sententia merito est refinenda cum dicta Clementina de solis causis beneficialibus mentionem fecerit.

312. *Appellatio non solum suspendit sententiam iudicis, sed etiam effectum conclusionis in causa prioris instantiæ.* — Urgebis contra datam conclusionem. Regressus a petitorio ad possessorium nequit amplius fieri post conclusionem in causa, c. *Pastoralis*. h. t.; ergo ipse non videtur posse habere locum in causa appellationis, utpote quam conclusio in causa jam præcessit. Resp. neg. seq. Siquidem appellatio legitime interposita non solum suspendit sententiam iudicis, sed etiam effectum conclusionis in causa, quæ facta est in priori instantia. Imola ad cit. Clem. un. h. t. circa principium. Unde sicut in iudicio appellationis pars litigans, credens se prius minus bene allegasse seu probasse, potest novis probationibus et allegationibus uti: haud obstante priori conclusione in causa principali, dummodo hoc fiat ante conclusionem in causa appellationis: ita etiam ante hanc conclusionem potest quis a petitorio interim suspenso redire ad possessorium. Et hoc intellige non solum de prima, sed etiam de secunda instantia appellationis. Barbosa ad cit. Clem. un. n. 2. h. t.; Pirhing. eod. n. 42.

## TITULUS XIII.

## De Restitutione Spoliatorum.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quia titulo præcedenti tractatum fuit de causa possessionis in genere, merito subjungitur præsens titulus, tum quia causa restitutionis etiam est possessoria: tum præsertim, quia necesse est, ut cognita natura possessionis ut sic, etiam pateat remedium eandem vi ablata denuo recuperandi. Et hoc fit per interdictum *Unde vi*, ac per alia remedia recuperandæ possessionis, de quibus cum speciales occurrant difficultates, recte sub proprio titulo pertractantur, quem majoris claritatis gratia expedit dividere in paragraphos.

## § 1.

DE REMEDIIS SPOLIATORUM IN GENERE AC INTERDICTO *Unde vi* IN SPECIE.

2. *Remedia spoliatorum, quot?* — Quæritur I. Quot generatim sint remedia spoliatorum, et quæ? Resp. I. Circa numerum remediorum, quæ spoliatis a jure sunt concessa ad recuperandam possessionem rerum sibi ablatarum, variant auctores, dum alii plura, alii pauciora enumerant. Siquidem Speculator tit. *de Restitutione spoliatorum*, atque Card. Tuschus, litt. S. concl. 384, et Lopus, alleg. 52, solum octo enumerant remedia spoliatis concessa ad recuperandam possessionem amissam. Econtra vero Jacobus Menochius in *Commentariis de Adipiscenda, retinenda, et recuperanda possessione*, septendecim recenset hujusmodi remedia: et Robert. Maranta in *Speculo aureo* (alias, *Tractatus de Ordine judiciorum nuncupato*) part. IV, dist. 7, n. 29 et seqq. ex jure communi refert viginti talia remedia; quibus addit duo alia locum habentia ex constitutione regni sui.

3. *Eorum præcipua enumerantur.* — Resp. II. Hujusmodi remedia recuperandæ possessionis, spoliatis a jure concessa, potissimum sunt sequentia. I. Interdictum *Unde vi*. II. Condictio ex c. *Sæpe, de Restitut. Spoliat.* III. Condictio ex can. *Redintegranda*, 3, q. 1. IV. Condictio ex l. *Si quis in tantam*, c. *Unde vi*. V. Condictio ex l. *Exstat*, ff. *Quod meus causa*, etc. VI. Condictio ex l. *Invasor*, c. *Unde vi*. VII. Condictio ex l. *Cum querebatur*, seu ex l. ult. c. *Unde vi*. VIII. Remedium ex officio judicis. Et ista octo remedia non solum referunt Speculator, et Card. Tuschus, ubi supra, sed etiam Menochius, ordine tamen diverso; de quibus veluti principalioribus, in progressu singillatim dicetur.

4. *Remedium spoliatorum ex conditione triticaria.* — IX. Remedium a Menochio, Maranta, et aliis superadditum, habetur ex *Condictione triticaria* (sic dicta a Triticio auctore suo, ut notat Glossa ad *Rubric. tit. ff. de Conduct. Triticar.*) quæ locum habet pro omni re sive mobili, sive immobili, quam quis vere possedit, atque ejus possessione privatus fuit, excepta dumtaxat pecunia numerata, l. I et II, ff. *de Conduct. Triticar.* Unde hæc condictio concurrens cum interdicto *Unde vi*. Maranta loc. cit. n. 39. Nisi, quod utilis sit ad recuperandam etiam rerum mobilium (dempta

pecunia) possessionem, ad quam non concedatur interdictum *Unde vi*. Menochius, remed. 3, *de Recuperand. possess.* n. 1.

5. *Remedium spoliatorum ex conditione incerti.* — X. Remedium spoliatorum datur ex *Condictione incerti*: quæ competit ei, qui licet non sit dominus, habet tamen jus in re spoliata, ac proinde ipsius interest rem illam salvam esse: ut quia ipse est creditor, habetque rem illam pignoris loco sibi obligatam, et fuit spoliatus possessione ejus. Cum enim talis non sit dominus, habeat tamen jus aliquod in re, in locum conditionis furtivæ, quæ datur soli domino, competit ipsi condictio incerti ad recuperandam ejus possessionem. Textus est in l. *Et ideo*, § *Neratius*, ff. *de Condict. furti*, juncta Glossa ibid. §. *Incerti*, et Bartolo in *Summario*. Maranta loc. cit. n. 40.

6. *Remedium spoliatorum ex conditione indebiti; declaratur.* — XI. Remedium competit ex *Condictione indebiti*. Et hæc datur ei, qui per errorem ac indebite solvit rem alienam, cujus ipse fuerat possessor, ad recuperandam possessionem ejus, l. *Indebiti*, juncta Glossa, §. *Ut vel*, ff. *de Condict. indebit.* Menochius loc. cit., remed. 2, n. 1 et seqq.; Maranta n. 44, apud quos plura de cæteris remediis recuperandæ possessionis: nam prædicta undecim sunt principaliora. Nunc proseguendo per ordinem priora octo,

7. *Interdictum Unde vi, quale?* — Quæritur II. Quid sit interdictum *Unde vi*, et ad quid, et quamdiu detur? Resp. I. Interdictum *Unde vi* (sic dictum a primis verbis prætoris, illud proponentis) l. I, § 1, ff. *de Vi, et vi armata* proponitur, sequentibus verbis: «Prætor ait: Unde tu illum vi dejecisti, aut familia tua dejecit, de eoque quod ille tunc ibi habuit, tantummodo intra annum, post annum vero de eo, quod ad eum, qui vi dejecit, pervenerit, judicium dabo.» Quamvis autem olim fuerit differentia inter vim armatam, et sine armis (hoc est, an quis cum armis a sua possessione fuerit dejectus, vel sine armis), atque etiamnum hodie quoad pœnam non modica sit differentia, et juxta atrocitatem violentiæ gravius plectatur vis armata: nihilominus quoad possessionis restitutionem talis differentia hodie sublata est, arg. § *Recuperandæ*. Instit. *de Interdict.*, ac notat Menochius, remed. 1 *De Recuperand. possess.* n. 8, et Pirhing h. t. n. 1.

8. *Datur ad duo, quæ?* — Resp. II. Interdictum *Unde vi* datur ad duo. Primo, ut spo-

liatus ante omnia restituatur in pristinam possessionem: adeo, ut spoliator volens agere super proprietate rei ablatæ, non sit audiendus, nisi eam prius restituerit, c. *In litteris*, §. h. t. et c. *Super spoliatione*, 4, *de Ordin. cognit.* et amplius declarabitur in progressu. Secundo ut spoliatus restituatur ad totam causam: hoc est, non solum in pristinam possessionem (et quidem liberam, ut antea, arg. c. *Pisanis*, 19, § *Porro*, h. t.), sed etiam ad omne id, quod ibi amisit, licet ad spoliatorum nihil pervenerit, text. clar. l. I, § 1, ff. *de Vi et vi armat.* Et quidem usque ad obolum, sive ultimum quadrantem, tam quoad rem ipsam, quam quoad fructus, damna et interesse. Barbosa, cap. 1, n. 4, h. t. post Rotam, decis. 334, part. III, divers. et alios; atque amplius infra § 5, a num. 117 usque ad n. 124, dicitur. Et hoc merito statutum fuit: partim in odium spoliantis, Clem. un. *de Causa possess. et propriet.* partim, quia interdictum *Unde vi* atrocitatem facinoris in se continet, d. l. I, § *Interdictum hoc*, ff. *de Vi et vi armat.*; partim vero, et quidem præcipue, quia æquitas naturalis id ipsum postulat.

9. *Ad quantum tempus de jure civili.* — Resp. III. Interdictum *Unde vi* quoad persecutionem damnorum, per spoliatorem illatorum, ex quibus ad spoliatorem nihil pervenit, spectato jure civili datur solummodo intra annum (utilem tamen, d. l. I, § *Annus*, ff. *de Vi et vi armat.*), post annum autem datur tantum de eo, quod ad ipsum, qui vi dejecit, pervenerat. Textus est in cit. l. I, § 1, ff. eod. ac supra n. 7. jam allegatus, juncta l. *Unde pulsos*, c. *Unde vi*. Sed hoc intellige, agendo: nam excipienda interdictum *Unde vi* est perpetuum, arg. l. *Pure*, § fin. ff. *de Dol. mali except.* et notat Glossa in d. l. *Ubi pulsos*, §. *Annus* Maranta, part. IV; *Speculi aurei*, dist. 7, n. 32; Mynsinger, § *Summa autem*, n. 16. Instit. *de Interdict.* et alii.

10. *Ad quantum tempus de jure canonico.* — Additur notanter, «spectato jure civili.» Nam, quod de jure canonico interdictum *Unde vi* sit perpetuum tam ad excipiendum, quam ad agendum de damnis illatis, dicit ad spoliatorem nihil devenerit; clare desumitur ex can. *Redintegranda*, 3, q. 1, et passim observant doctores, quos sequitur Mynsinger loc. cit. Existimant enim sacri canones, tam immane facinus uno anno non recte concludi: simulque completam redintegrationem omnium damnorum per spoliatorem injuste illatorum, quamvis inde ad spoliantem nihil

pervenerit, postulat æquitas naturalis, ac virtus justitiæ; haud obstante ullo lapsu temporis, dummodo subsit possibilitas resarciendi: prout idem contingit in aliis, proximum suum injuste damnificantibus.

11 et 12. *Interdictum Unde vi solum competit spoliato sua possessione, et quidem rei immobilis.* — Quæritur III. Quibus competat interdictum *Unde vi*? Resp. I. Interdictum istud nulli competit, nisi ei, qui vi dejectus, sive spoliatus fuit possessione rei immobilis. Patet hoc ex d. l. I, § *Dejicitur*, et § *Interdictum autem hoc*, ff. *de Vi et vi armat.*, cum similibus. Sufficit tamen, sive quis possideat naturaliter, sive civiliter tantum: nam quicumque possessione quis detineat rem immobilem, seu fundo adhærentem, si tali possessione fuerit spoliatus, datur ei istud interdictum *Unde vi*, dummodo rem illam vere possederit tempore illo, quo fuit dejectus.

Additur notanter, «possessione rei immobilis.» Nam de rebus mobilibus, utpote quarum possessio vilis est et abjecta, non competit interdictum *Unde vi*: sed, quando aliquem his spoliari contingit, tunc furti, aut honorum raptorum actio competit: potest tunc etiam ad exhibendum agi; prout habetur expressum in d. l. I, § *Illud utique*, ff. eod. estque uberius dictum tit. præc. § 3, n. 98 et seqq. Ubi tamen recte subjungitur, quod quidem de rebus mobilibus non competit interdictum *Unde vi* principaliter; possit tamen de istis dari saltem secundario et accessorie, quando nimirum res mobiles existunt in re immobili, l. *Idem est*, § *Perinet*, ff. *de Vi et vi armat.*

13. *Dummodo tempore spoliationis possederit.* — Additur ulterius, «dummodo vere possederit tempore illo, quo fuit dejectus.» Quia interdictum *Unde vi* solummodo illi competit, qui tempore spoliationis possedit, cit. l. I, § *Interdictum autem hoc*, ff. eod. Unde non sufficit quempiam probare, olim se possedissee, nisi probet præcise, etiam tempore spoliati sese possedissee. Maranta, cit. part. IV *Speculi aurei*, dist. 7, n. 38. Quanquam in dubio is, qui olim possedit, etiam hodie possidere præsumatur, c. *Licet causam*, 9, § *Ex præmissis*, *de Probation.* et l. *Sive possidetis*, c. eod., eo quod nemo præsumatur suum jactasse, l. *Cum de indebito*, § *de Probation.* ac late tradit Mascardus concl. 1202, n. 1 et seqq., estque amplius dictum supra tit. præced., n. 225, 227 et 228.